

**ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Romanae Rotae Tribunal**

**SENTENTIA INTERLOCUTORIA
De iure appellandi promotoris iustitiae
adversus decretum turni**

(Omissis)

Facti species

1. - Robertus, in civitate P. anno 1957 natus, commorans in municipio R., medicus, anno 1989 in ecclesia paroeciali S. intra fines oppidi nuncupati R. matrimonium iniit cum Augusta, anno 1961 in oppido R. orta ibique domicilium retinente.

Ex eorum unione, per septem annos ducta, filius enatus est.

Anno 1996 dominus Robertus coram Tribunali Z. supplicem libellum porrexit, declarationem nullitatis sui matrimonii expostulans ob quattuor capita: «1. A norma del can. 1103 del C.J.C. per *vis vel metus gravis viro incussus*. 2. A norma del can. 1097 del C.J.C. n. 1 per *error ex parte viri in persona mulieris*; 3. A norma del can. 1095, 3 del C.J.C. per *incapacitas ex parte mulieris conventae, ob causas naturae psychicae, obligationes matrimonii essentielles assumendi*; 4. A norma del can. 1098 del C.J.C. per *dolus a parte mulieris patratu*» (Summ. 1-um, 16-17).

Collegium trium iudicum institutum est, et ad causam videndam electi sunt RR.DD. «A., B., C.»

(Summ. 1-um, 17); decreto diei 23 martii 1999 Collegium renovatum est, cum ad munus iudicis vocatus esset R.D. E. loco iudicis R.D. C. (cf. *ibid.*).

Anno 1996 dubium hac sub forma concordatum est: «An constet de matrimonii nullitate in casu ex capitibus vis vel metus gravis viro incussi, erroris ex parte viri ac doli a parte mulieris patrati; incapacitatis ob causas naturae psychicae, obligationes essentielles assumendi (ex parte mulieris)» (Summ. 1-um, 18).

Partibus auditis ac viginti duobus testibus excusis, sententia primi gradus die 28 maii 1999 prodiit, quae dubiis propositis respondit: «Affirmative, seu constare de nullitate matrimonii in casu, ex capite tantum vis et metus gravis viro incussus. Negative ex capitibus erroris ex parte viri ac doli a parte mulieris patrati; incapacitatis ob causas naturae psychicae, obligationes matrimonii essentielles assumendi» (Summ. 1-um, 67).

In fine textus sententiae, ante iudicum subsignationes, haec notula addita est: «Il Rev.mo Mons. A., Presidente del Collegio, non potrà sottoscrivere l'esemplare di questa sentenza, perché, in data 30 settembre 1999, avrà lasciato l'ufficio per essere collocato a riposo. La sottoscrizione autentica del predetto Giudice si trova apposta nel registro delle sentenze di Questo Tribunale di Prima Istanza. Dalla sede del Tribunale, 28 maggio 1999» (*ibid.*).

Mulier conventa die 7 martii 2000 querelam nullitatis una cum appellatione coram N.A.T. proposuit his verbis: «[...] a norma del can. 1622, n. 3 e 1426 §§1-2 e del can. 1625 propone querela di nullità avverso detta sentenza, e nel contempo appella contro la medesima al Tribunale Apostolico della Rota Romana» (in actis coram L.).

Die 14 novembris 2000 Turnus, R.D. L. Ponente, decrevit constare de nullitate sententiae primi gradus et ab Exc.mo Nostro Decano petivit ut causa pertractari posset penes N.A.T. tamquam in prima instantia (cf. Summ. 1-um, 10).

Ast die 28 martii 2001 R.D. Promotor Justitiae N.A.T. appellationem contra decretum coram L. die 14 novembris 2000 latum appellationem proposuit.

Die 26 iunii 2001 Turnus ab Exc.mo Nostro Decano constitutus est et die 6 iulii 2001 dubium a Ponente hac sub forma statutum est: «Utrum confirmandum an infirmandum sit Decretum Rotale diei 14 novembris 2000, seu an constet de nullitate sententiae primi gradus» (Summ. 1-um, 69).

Ast die 23 octobris 2001 Cl.mus Patronus mulieris conventae quaestionem praeiudicalem de illegitimitate appellationis Promotoris Justitiae seu de iure appellandi proposuit atque institit ut quaestio de nullitate sententiae ex officio concordata suspenderetur (cf. Summ. 1-um, 84 c).

Die 10 decembris 2001 Ponens decrevit quaestiones in forma iudicii solvendas esse et obiectum litis sic statuit: «1) An constet de iure appellandi R.D. Promotoris iustitiae adversus Decretum coram L. diei 14 novembris 2000, et quatenus affirmative, 2) utrum confirmandum aut infirmandum sit Decretum Rotale coram L. diei 14 novembris 2000» (Summ. 1-um, 87).

Ponens ex officio a Tribunali Z. exemplar folii dispositivi sententiae primi gradus diei 28 maii 1999 necnon notae in fine eiusdem sententiae appositae exposulavit atque iussit ut exemplar notificationum decreti coram L. diei 14 novembris 2000 actis uniretur.

Die 29 ianuarii 2002 mulier conventa renuntiam proposuit suis ipsius querelae nullitatis die 7 martii 2000 exhibitae, quae iam per decretum coram L. diei

14 novembris 2000 definita est, ac proinde petivit ut causa prosequeretur suum iter coram L. ad normam can. 1682 §2.

Ponens vero die 7 februarii 2002 decrevit praefatam instantiam partis conventae admitti non posse.

Deinde Cl.mus Patronus mulieris conventae die 20 februarii 2002 querelam nullitatis proposuit adversus praefatum decretum Ponentis diei 7 februarii 2002.

Ac tandem Ponens decreto diei 8 aprilis 2002 statuit has quaestiones solvendas esse: «1) Utrum recursus Cl.mi Patroni partis conventae adversus decretum Ponentis diei 7 februarii 2002 admittendus sit, et quatenus negative 2) An constet de iure appellandi R.D. Promotoris Iustitiae adversus Decretum coram L. diei 14 novembris 2000, et quatenus affirmative, 3) Utrum confirmandum aut infirmandum sit Decretum Rotale coram L. diei 14 novembris 2000» (Summ. I-um, 117 a).

Cum Cl.mus Patronus partis conventae haberet «absonum et contradictorium [...] decretum Rev.mi Ponentis diei 19 aprilis 2002, quod dum relate ad Patronam actoris statuit: “quae sola Summariolum parare velit” contra iubere praesumit ut “a Cl.mis partium Patronis [...] exhibeantur memorialia”» (Summ. I-um, 118), Summariolum ex officio exaratum est.

I. DE RECURSU CL.MI PATRONI PARTIS CONVENTAE ADVERSUS DECRETUM PONENTIS DIEI 7 FEBRUarii 2002

In iure et in facto

2. - Cl.mus Patronus mulieris conventae in instantia diei 4 februarii 2002 quaedam gravia asserit:

«[...] *nullus iudex sine actore* [...] *nemo ad agendum coagi potest* [...] Ergo, perspecta voluntate partis conventae – quae iuxta legem est vera domina causae» (Summ. 1-um, 109), et in sua declaratione diei 10 iunii 2002, qua recusat se absolvere debitum a Ponente decreto diei 15 maii 2002 statutum, scilicet memoriale exhibere, alia addit: «Facultas abrenuntiationis est in patrimonio disponibili partis: absurdum esset quod, iuxta constantem iurisprudentiam rotalem, quis abrenuntiare possit causae nullitatis matrimonii et quidem etiam post unam sententiam affirmativam et, contra, nequeat abrenuntiare merae quaestioni procedurali a semet admotae; - Iudex abrenuntiationem in similibus tenetur admittere, et neminem nolentem in quolibet casu coagere potest ad agendum».

Certo certius «Pars praecipua in iudicio est actor, nam absque eius interventu ac praesentia iudicium (contentiosum) inchoari non potest, et ad ipsum potissimum spectat iudicium prosecui usque ad primam sententiam, vel ab eo recedere» (I. GORDON, *De iudiciis in genere*, I, Romae 1976, 38).

Attamen actor nullatenus prout dominus absolutus causae haberi potest; actor enim auxilium a iudice expetit: «Actio est igitur iuris subiectivi substantivi custos ac tutrix, verumtamen non se sola, sed iudicis adiutorio» (I. GORDON, *o.c.*, 34), et altera pars in iudicium vocatur (cf. can. 1476).

Ex actione, ad tractationem iudicalem admissa et parte conventa citata, proinde enascitur relatio iuridica processualis: «Iudex obstringitur obligatione administrationis iustitiae. Haec obligatio est publica et primo innititur in iudicis officio [...] Constituitur relatio iuridica inter actorem et iudicem, ut innuimus, exhibitione petitionis iudicialis, extenditur ad

alteram partem citatione» (F. ROBERTI, *De processibus*, v. I, Romae 1941, 77 et 79).

Quidem actori ius est in «quolibet statu et gradu iudicii [...] instantiae renuntiare» (can. 1524 §1), et proinde «*instantia* [...] *renuntiatione* perimitur» (M. CARD. LEGA, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, curante V. Bartocetti, v. II, Romae 1950, 927, n. 2); renuntiatio «fieri aequae potest nedum in prima instantia sed etiam in gradu appellationis itemque quum agitur de remediis extraordinariis *querelae nullitatis, oppositionis tertii et restitutionis in integrum*» (M. CARD. LEGA, *o.c.*, 597, n. 1).

Ratio vero normae in canone 1524 statutae sistit in relatione iuridica exorta a processu inchoato, ita ut postulentur tum communicatio cum altera parte tum iudicis admissio: «[...] la necessità dell'accettazione scaturisce dalla natura del rapporto processuale: nascendo da questo precisi diritti per entrambe le parti, sarebbe inammissibile che il processo potesse esaurirsi per volontà di una sola di esse [...] il processo ha insopprimibili interferenze con il "*bonum publicum*", ed il giudice (nella sua veste di tutore della "*utilitas Ecclesiae*") deve disporre del mezzo idoneo a scongiurare, ovvero ad impedire, che un contrastante volere di soggetti privati possa troncare l'*iter* processuale anteriormente alla sentenza in merito» (R. PALOMBI, «Aspetti dell'invalidità dell'atto giuridico nella vigente legislazione canonica», *Apollinaris* 66 [1993] 243).

Ex «natura pastorale del processo canonico» (J. LLOBELL, «Pubblico e privato: elementi di comunione nel processo canonico», in *La giustizia nella Chiesa: fondamento divino e cultura processualistica moderna*, Studi Giuridici XLV, Città del Vaticano 1997, 79) profluit defectus dominii assoluti in pro-

cessu quoad unam tantum partem: «[...] le situazioni ingiuste che coinvolgono il bene pubblico non consentono la libera disposizione [...] da parte dei privati per risolvere i contraddittori» (*ibid.*).

Praeclara quidem manent verba Summi Pontificis Ioannis Pauli II, quamvis elata in contextu ad processum nullitatis matrimoni attinente: «[...] finalità suprema e l'accertamento di una verità oggettiva, che tocca anche il bene pubblico» (IOANNES PAULUS II, Allocutio ad Praelatos Auditores Romanae Rotae habita die 22 ianuarii 1996, n. 4, AAS 88 [1996] 775).

Lex ipsa tandem statuit quod renuntiatio instantiae fieri nequit postquam pronuntiatio per sententiam definitivam evenit; nam eidem instantiae per pronuntiationem sententiae definitivae finis ponitur (cf. can. 1517), ac proinde instantia deleri numquam potest.

Sententia enim ius inter partes facit, ac proinde «Sententia definitiva ac valida revocari nequit, ne quidem iudicibus in id unanimiter consentientibus» (I. GORDON, *o.c.*, v. II, 105, n. 466; cf. Instr. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936 *Provida Mater*, art. 205 §1, AAS 28 [1936] 353).

Et ratio sententiae definitivitatis sistit in ipsa processus natura: «Il provvedimento giudiziario *deve* risolvere il contraddittorio [...]. Le parti, volenti o nolenti, dovranno adeguarsi alla sentenza eseguibile» (J. LLOBELL, «Verità e giudicato. La riformulazione del concetto di appello canonico», in *Verità e definitività della sentenza canonica*, Studi Giuridici XLVI, Roma 1997, 22).

Et hoc recipiendum est non solummodo pro sententiis definitivis, sed etiam pro aliis iudicis pronuntiationibus, scilicet pro sententiis interlocutoriis et

pro decretis vim sententiae definitivae habentibus (cf. can. 1617), cum «sententia interlocutoria vera sit sententia iudicialis» (F. X. WERNZ – P. VIDAL, *Ius Canonicum*, t. VI, De Processibus, Romae 1949, 552, n. 587) et cum per decretum, quo causa incidens solvitur (cf. can. 1589 §1), iudicis pronuntiatio habeatur (cf. can. 1617).

Lex remedia sane praebet ad sententiam impugnandam, scilicet querelam nullitatis vel appellationem.

Pars conventa quidem domina erat quoad suum ius adhibendum iuxta legis praescripta, sed postquam ius factum est, ipsa nondum domina manet quoad actum ad publicum bonum attinentem, prout habetur iudicis pronuntiatio per sententiam definitivam.

Vinculi Tutor quidem ad rectam conclusionem pervenit, asseverans: «instantia finitur pronuntiatione sententiae definitivae, qua finita, haud amplius loqui potest de quolibet statu vel gradu iudicii; pari ergo ratione, quaestio incidentalis vel praeiudicialis solvitur decreto iudicis, quo pronunciato locus non est amplius renuntiationi sed potius impugnationi ad normam canonum. Nulli ergo parti licet renunciare sententiae definitivae vel decisioni iudicialiter latae, quia hae inter partes faciunt ius. Eadem vero ratione licet utique uni aliive parti decisionem impugnare modis tantum in iure nostro admissis» (Memoriale Defensoris Vinculi, p. 6).

Quam ob rem renuntiatione partis conventae «alla querela di nullità [...] proposta il 2 marzo 2000» (Summ. 1-um, 105), sed die 7 martii 2000 exhibita coram Tribunali primi gradus (cf. acta causae coram L.), una cum instantia «che la causa proseguiva il suo iter normale presso il Turno d'origine coram L., per l'esame previo a norma del can. 1682 §2» (*ibid.*)

haud admitti potest, cum huiusmodi renunciatio non amplius in partis facultate sit. Cum enim agatur de sententiae nullitate, iam a Turno coram L. declarata, bonum publicum Ecclesiae implicatur.

Certo certius ius partis erat petendi ne querela prosequeretur et ipsa pars quaestionem incidentem deserere potuisset, sed ipsa nullatenus renunciare potest decisioni iam proditae; cum ante finem instantiae partis renunciatio, ad normam can. 1524 §3 et art. 68 Normarum Romanae Rotae Tribunalis, vinculum inveniatur in acceptatione aliarum partium in processu et in ipsius iudicis admissione, a fortiori renunciatio praepeditur, si iudicis pronuntiatio iam lata est.

II. DE IURE PROMOTORIS IUSTITIAE APPELLANDI CONTRA DECRETUM TURNI CORAM L. DIEI 14 NOVEMBRIS 2000

In iure et in facto

3. - Tamquam pars (cf. can. 1434) in causis contentiosis «in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest» (can. 1430), Promotor Iustitiae omnibus iuribus pollet quae partibus competunt (cf. can. 1678), et quidem idem ius appellandi habet (cf. can. 1628), etsi «pars sui generis» (I. GORDON, *o.c.*, vol. I, 242, n. 360; cf. PIUS XII, Allocutio ad S.R. Rotam, d. 2 octobris 1944, AAS 36 [1944] 285; una Romana, CORAM STANKIEWICZ, decisio diei 15 iunii 1979, n. 8 a, non edita) haberi debet.

Agitur de «persona publica quae ex officio [...] bono publico tuetur in causis contentiosis quae illud in discrimen vocare possunt» (I. GORDON, *o.c.*, vol. I, 240); Promotor iustitiae explet officium «ministerii

publici in Ecclesia» (CORAM PALESTRO, decretum diei 2 iulii 1986, n. 5, in *R.R. Decreta*, v. IV, 110), cum ipse «ad tuendum bonum publicum» (CORAM JULLIEN, decisio diei 27 novembris 1937, n. 7, in *R.R. Dec.*, vol. XXIX, dec. LXXII, 719) institutus sit.

Quaelibet iudicis sententia, necnon decretum vim sententiae definitivae retinens, ad bonum publicum pertinet, cum a publica auctoritate pronuntiata sit, et munus Promotoris iustitiae sistit in illius boni tuitio-ne; quam ob rem ipse «intervenire debet in omnibus causis poenalibus, itemque in contentiosis in quibus Ponentis iudicio res est de bono publico, praesertim ad leges processuales quod attinet» (*Normae Romanae Rotae Tribunalis*, art. 24 §1); est enim Promotoris iustitiae «sauvegarder l'observance de la loi» (J. DAHYOT-DOLIVET, *Le ministère public*, Roma 1974, 167), prout «legis custos vindexque» (CORAM STANKIEWICZ, decretum diei 29 novembris 1995, n. 5, in *Quaderni dello Studio Rotale*, vol. IX, 90).

Certo certius sententia qua talis, seu prout actus positus ab eo qui auctoritatem publicam detinet, ad bonum publicum pertinet, sed haud necessario dispositio per sententiam statuta bonum publicum attingit; quapropter in appellatione contra sententiam per se non necessarius est intervenus Promotoris iustitiae, ast cum agitur de querela nullitatis Promotor iustitiae intervenire debet.

Lex Ecclesiae enim interventum Promotoris iustitiae vult si «ex natura rei evidenter necessarius sit» (can. 1431 §1).

Cum «iudicium nullitatis sententiae boni publici iam ex sese intersit» (F. X. WERNZ – P. VIDAL, *Ius Canonicum ad Codicis normam exactum*, Vol. VI, De processibus, ed. altera a F. Cappello recognita, Romae 1949, n. 620, 590, nota 9), «in causis de nul-

litate sententiae interventus promotoris iustitiae ex natura rei evidenter necessarius apparet, scilicet "ratione boni publici" (J.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica*, Romae 1966, ed. 2, 162) quod in processu querelae nullitatis in discrimen vocari potest. Promotor enim [...] iure agit de legibus processualibus tutandis [...] eoque vel magis si sententia ipsa nullitatis accusetur [...] Nec obstat asserta abrogatio normarum [...] quae de competentia specifica muneris promotoris iustitiae statuebant, scilicet de legi processuali tutanda, quia haec specificatio, habita ratione traditionis canonicae (can. 6 §2), competentiae generali providendi bono publico inesse pergit» (CORAM STANKIEWICZ, decretum diei 29 novembris 1995, nn. 5-6, in *Quaderni dello Studio Rotale*, vol. IX, 90).

Ne ullum quidem dubium haberi debet quin Promotori Iustitiae ius sit appellandi contra decisionem admittentem querelam nullitatis sententiae.

Promotor Iustitiae, in casu, suo iure appellandi usus est, et quidem intra terminos quindecim dierum a canone 1630 §1 statutos, quia Promotori decretum coram L. die 28 martii 2001 notificatum est (cf. Summ. 1-um, 92) et eadem die ad Turnum sequentem ipse appellavit (cf. Summ. 1-um, 1).

Instantia Cl.mi Patroni partis conventae die 26 aprilis 2002 praebita, «ut Rev.mus Promotor Iustitiae declarare velit se recedere velle ab appellatione interposita» (Summ. 1-um, 117 b) sane agnosci potest, sed conditio patefacta, seu «ea tamen lege ut Turnus a quo revocet decretum [...] ante definitionem causae principalis» (*ibid.*) minime evenire potest; nam decretum coram L. diei 14 novembris 2000 querelam nullitatis, etsi ad modum incidentis, definivit; huiusmodi decisio solvit controversiam, quae per actio-

nem initium susceperat, et idem Turnus qui illam prodiderat nequit eam revocare ad normam can. 1591, uti supra iam probatum est, sed decisio reformari potest solummodo in subsequente gradu iudicii. Hic enim haud agitur de quaestione incidente, sed de controversia athonoma, cum querela nullitatis «continetur ingenere actionis, quippe querelam movens *aliquod suum ius persequitur coram iudice*» (M. CARD. LEGA, *o.c.*, v. II, 1015).

III. DE DECRETO TURNI CORAM L. DIEI 14 NOVEMBRIS 2000 CONFIRMANDO VEL INFIRMANDO

In iure

4. - Iuxta praescriptum canonis 1622, n. 3 sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, si «subscriptionibus caret iure praescriptis», quae in canone 1612 §4 exquiruntur.

Quaestio praecipua vero, in casu solvendo, haud videtur defectus subscriptionis unius iudicis in textu sententiae, intra tempus iure praescriptum utile pro sanatione nullatenus emendatus, sed tantum agitur de vi partis dispositivae sententiae, quae iam exstat in sic dicto folio dispositivo.

Et huiusmodi quaestio minime pro academica haberi potest, prout Cl. mus Patronus partis conventae contendit (cf. Summ. I-um, 112).

Non est qui non videat defectum cohaerentiae terminologicae tum in vetere tum in novo Codice Iuris Canonici.

In eadem paragrapho canonis 1871 Codicis piarum-benedictini Legislator enim postquam locutionem «ad hanc sententiam devenire» adhibuerat, statim de “decisione” loquebatur.

Lex in canone 1612 structuram sententiae statuit, in qua quidem “pars dispositiva” suum locum servare debet.

Attamen collatis canonibus 1609, 1610, 1611, 1612, patet quod Legislatores etiam cum de discussione causae loquuntur, verbum “sententia” adhibet.

In canone 1609 §5 enim dicitur: «si iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolint aut nequeunt»; et immo ratio vel finis discussionis sistit in constabiliendo «quid statuendum sit in parte dispositivae sententiae» (can. 1609 §3).

In subsequente canone modus pro sententia exaranda («ipse sententiam exarabit», can. 1610 §1) vel pro sententia «edenda» (can. 1610 §3) statuitur, et normae in sententia scribenda a canone 1612 definiuntur; ast definitio controversiae (cf. can. 1611, 1^o) iam die quo Tribunal convenerat (cf. can. 1609) peracta est, si iudices ad sententiam devenerunt (cf. can. 1609 §5).

Cardo quaestionis inspiciendus est in vi partis dispositivae, quae prout essentia sententiae patet: «Sententia debet [...] exponere rationes seu motiva, tum in iure quam in facto, quibus dispositiva sententiae pars innititur» (can. 1611, 3^o).

In N.O. quaedam sententiae, doctrina Em.mi Lega nixae, censent quod pars dispositiva solummodo prout pars sententiae et nullatenus pro sententia haberi debet.

Iuxta unam coram Jullien, nullatenus pars dispositiva prout sententia haberi potest, et effectus sententiae minime producit: «Constabilita igitur a Iudicibus dispositivae futurae sententiae parte, causa tum definita est sed sententia nondum existit [...] Enimvero, uti liquet tum ex rei natura, tum ex legis textu, aliud est pars dispositiva sententiae, aliud est senten-

tia ipsa tota, constans cunctis suis partibus definitis canone 1873 et canone 1874 [...] Sine [...] essentialibus suis elementis, sententia non editur, non “fertur” (can. 1874 §1), nullum effectum producit. Aliud est igitur constabiliri partem dispositivam; aliud sententiam ferri, seu exarari, subscribi; quo facto, sententia existit, est edita, seu prolata, vel pronunciata, et potest publicari, ad normam can. 1876, s. Pars quidem dispositiva, postquam determinata fuerit, potest notificari partibus, sed notificatio non producit effectum sententiae publicatae. Cf. LEGA, *o.c.* [*Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, Romae, 1939], tom. II, 961, n. 12-13; 1027, n. 6; 1028, n.8» (CORAM JULLIEN, decisio diei 17 iunii 1944, n. 6, in *R.R. Dec.*, vol. XXXVI, dec. XXXVII, 430).

In una coram Pasquazi eadem principia agnoscuntur, et quidem ratione magis stricta: «Vox *sententia* plura significare potest, sed si in sensu proprio et formali sumatur, quatenus scilicet est iudicis pronuntiatio ad definiendam causam unum tantum significat: actum omnibus constitutum elementis de quibus in canonibus 1873 et 1874 Codicis et cuius principales partes sunt: pars dispositiva, pars motiva et subscriptiones. Elementum dispositivum sententiae vocatur in Codice pars sententiae et non simpliciter sententia. “Hisce (id est partium conclusionibus) subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur” (can. 1874 §4). Sed pars non est totum et ideo sententia et pars eius dispositiva non sunt idem» (CORAM PASQUAZI, decisio diei 18 maii 1948, n. 7, *ibid.*, vol. XL, dec. XXIX, 174).

In una Florentina coram Fidecicchi censetur quod tantum sententia, quae omnes partes continet, formalis esse potest: «Tria distinguuntur tempora: primum definitio causae seu quid constabiliendum sit in parte

sententiae dispositivae [...] Decisio haec, scripto exarata, sententia adhuc non est, licet partibus notificari possit [...] Alterum tempus respicit edendam sententiam formalem, quae a ponente exarari debet, infra mensem [...] iudices igitur secunda vice coadunantur ad sententiam formalem subsignandam [...] Tertium demum tempus continetur publicatione et notificatione sententiae formalis partibus interesse habentibus. Iudices tribunalis dioecesani igitur bis conveniunt: prima vice ad mentem suam pandendam de merito causae et constabiliendam ipsius causae definitionem, quae est pars dispositivae sententiae, et altera vice ad subsignandam suo, nomine sententiam formalem infra mensem, generatim exarandam, cum ceteris solemnitatibus a iure statutis. Dies ergo decisionis diversus est a die subsignationis et publicationis sententiae» (decisio diei 25 ianuarii 1949, n. 5, non edita).

Non est qui non videat quomodo huiusmodi Legis interpretatio formalismo sapiat.

In unaquaque sententia agnoscitur quod diversa penes Rotam Romanam praxis habetur: «Hucusque egimus de iure Codicis I.C. deque lege data tribunali-bus dioecesanis a S.C. de Disciplina Sacramentorum [...]. Non agitur enim de sententia data a Tribunali S.R. Rotae, ubi, iuxta constantem interpretationem Legis peculiaris seu Normarum, dies sententiae seu dies qua lata est sententia (art. 144 §4), est dies qua constabilita est decisio in conventu seu Turno Auditorum, quamvis sententia postea exaretur, puta intra bimestre concessum (art. 143 §1). Itaque per quamdam iuris fictionem, dies qua sententia revera exarata atque subscripta est, retro ascendit ad diem qua Auditores decisionem constabilerunt» (CORAM JULLIEN, *dec. cit.*, 430, n. 6.); «Etiam *Normae S.R. Rotae* loquuntur de

sententia in sensu proprio et formali quando decernunt: “si vero decisio secreta servanda sit usque dum prodeat sententia [...]” (art. 142 §2): “sententia quam primum edenda est ad summum intra bimestre” (art. 143 §1). Quare notificatione decisionis seu partis dispositivae, quae ex usu fieri solet a tribunalibus statim post sessionem iudicum ad definiendam causam, nondum habetur formalis sententia, habetur tantum praeannuntiatio partis dispositivae edendae sententiae. Idem eruitur ex paragrapho tertia eiusdem articuli: “sententia ab extensore conficiatur oportet prae oculis habitis singulorum Auditorum votis”» (CORAM PASQUAZI, *dec. cit.*, 174-175, n. 8); «Alius est ordo in Rota vigens, in qua scilicet dies definitionis causae et dies subsignationis idem est» (CORAM FIDECICCHI, *dec. cit.*, n. 5).

Ast quaeritur utrum praxis Rotae tantum in iure proprio rationem habeat an in natura ipsa partis dispositivae, qua Turnus causae decisionem profert.

Reapse Em.mus Lega nullatenus subtrahere videtur parti dispositivae suum nexum cum sententia, cum in illa parte sententia adsit, etsi informis: «sententia in parte *dispositiva* est *informis* et imperfecta quousque ad normam can. 1874 §5, non referat subscriptiones. Neque a praescriptione huius canonis alienum esse mihi videtur, quod iudex a conclusione ad quam deventum est in discussione habita iuxta can. 1871, recedat dum melius perpendit facti speciem et rationes decidendi exaratas in textu sententiae et hic renuat suam apponere subscriptionem. Videlicet quia sententia *formalis* habetur observato praescripto cc. 1873, 1874, quousque ita textus non sit exaratus, videtur esse locus poenitentiae. Quamobrem deficiente subscriptione, deest sufficiens expressio voluntatis iudicis qui fidem facit de parte

dispositivae sententia» (M. CARD. LEGA, *o.c.*, vol II, 1027-10287, n. 6); et ad melius explicandam insufficientiam partis dispositivae, quosdam casus recolit: «Si forte contingat quod unus ex iudicibus qui partem habuerunt *pronuntiationi* sententiae dum *primo* causa discussa est, vi can. 1871, moriatur aut aliunde suo officio decedat aut eo fungi nequeat, dum sententia esset subscribenda, sententia nulla est defectu subscriptionis. - Alius iudex est substituendus legitime pronunciet decisionem causae et sententiam subscribat» (M. CARD. LEGA, *o.c.*, 1028, n. 6).

Salva reverentia Em.mo Auctori, sententia fit formalis, tantum cum sollemnitates iure praescriptis servantur, ut partes suum ius ad appellandum rectius ac facilius adhibere possint necnon ut iudicum pronuntiationi fides praestetur: «Forma sententiae est scripta. Scriptura requiritur ad sollemnitatem [...] Clauditur sententia [...] subscriptione iudicis vel omnium iudicum, si plures sint» (F. ROBERTI, *De processibus*, v. III, Romae 1926, 186 et 188, n. 457): «Ante Codicem sententia subscribebatur ex praxi tribunalium; at subscriptio nullo iure praescribebatur; qui defectus subscriptionum, nullo modo sententiam vitiabat. Lex pr. C. 32 §4 et RR. Rotae § 181, n. 1.e.f subscriptiones iusserunt, prout nunc praecipit Codex. Vix addere necesse est omnes iudices debere sententiam subscribere, iis qui eam non probaverint minime exceptis. Omnes enim debent testari decisionem expositam constituere sententiam collegii» (F. ROBERTI, *o.c.*, 188, n. 457, notula 2).

Em.mus Lega censet quod «Solutio repetenda est ex voluntate expressa legis seu ex iure constituto» (*o.c.*, vol. II, 1027, n. 6), ast ipsa lex coram qualibet impossibilitate – et haud interest quod impossibilitas obiectiva vel subiectiva tantum sit – in limitem inci-

dit, ac proinde dubium exoritur an lex in huiusmodi casu applicari debeat.

Aliud argumentum ab Em.mo Lega praebitum sistit in facultate quam iudex haberet recedendi a sua conclusione expressa in die conventus pro causae discussione («Neque a praescriptione huius canonis alienum esse mihi videtur, quod iudex a conclusione ad quam deventum est in discussione habita iuxta can. 1871, recedat dum melius perpenderit facti speciem et rationes decidenti exaratas in textu sententiae et hinc renuat suam apponere subscriptionem», o.c., vol. II, 1027, n. 6). Huiusmodi sententia vero contra praescriptum a canone 1871 §§3-5 Codicis piani-benedictini procedit, quia tantum ille canon exercitium iudicis potestatis quoad causae decisionem constituit; nam a decisione lata, de qua subsidiatio fidem facit in sic dicto folio dispositivo, nec singulus iudex nec Collegium recedere potest; quam ob rem sententia Em.mi Lega recipi nequit, quia iudicis potestas iurisdictionis suum culmen consequitur in decisione causae. Extrema solutio tandem ab Em.mo Lega proposita, seu electio novi iudicis («Si forte contingat quod unus ex iudicibus qui partem habuerunt pronuntiationi sententiae dum *primo* causa discussa est, vi can. 1871, moriatur aut aliunde suo officio decedat aut eo fungi nequeat, dum sententia esset subscribenda, sententia nulla est defectu subscriptionis. Alius iudex est substituendus qui legitime pronunciet decisionem causae et sententiam subscribat», o.c., 1028, n. 6) in peius vertit; quaeritur enim quando et quomodo, seorsus vel cum aliis iudicibus, novus iudex suam decisionem pronuntiare debeat. Certo certius huiusmodi solutio subvertit naturam legis, quia canon 1871 §§3-5 Codicis piani-benedictini (et in Codice vigente can. 1609 §§3-5) con-

stituere ordinem servandum in causae decisione, et potius ad canonem 20 eiusdem Codicis recurrere opus erat, qui ad stylum et praxim Curiae Romanae remittebat (in novo canone 19, qui loco illius canonis 20 adest, Legislator de iurisprudencia et praxi Romanae Curiae loquitur, omittens verbum “stylo”).

Cum sententia sit «Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et modo iudiciali pertractatam definit» (can. 1868 §1 Codicis piani-benedictini), iam in conventu pro causa definienda sententia habetur, quia iudex vel Tribunal collegiale suam pronuntiationem elicit, suam voluntatem manifestando (cf. F. ROBERTI, *o.c.*, vol. II, 169, n. 443; 179-180, n. 453): «Iuxta c. 1577 §1 [et eadem verba adsunt in can. 1426 §1 Codicis vigentis], in Tribunali collegiali sententia ferenda est secundum maiorem absolutam suffragiorum» (I. GORDON, *o.c.*, vol. II, Romae 1972, 101, n. 439), et suffragium in conventu ad causam definiendam efficitur.

Defensor Vinculi sensum novi canonis 1622, n. 3, qui eadem verba canonis 1894, n. 3 adhibet, perclare ac magno cum acumine ostendit: «interpretatio [...] quae insistit necessitati ad validitatem subsignandi extensionem sententiae plures inducit ac grave difficultates: inter quas eminet quaestio de principio *ne bis in idem*. Haud dubium ergo quin sessio decisoria sit actus processus legitime positus, praeterea qui in se nec revocari nec infectus fieri, quare idem iterari non licet [...] Impraecisum [...] nimis est sessionem ad ferendam sententiam definire discussoriam dumtaxat: nam phasis discussoria praecise loquendo decurrere incipit a decreto conclusionis in causa ac naturam suam specificam monstrat in commutatione scriptorum defensionalium; est autem praeparatoria ad sessionem decisoriam et ante hanc

iam terminatur... Sessio ergo ad pronuntiandam sententiam non est mera discussio inter iudices de quaestione habita [...] sed potius actas vere collegialis – ad normam sane canonis 119, n. 2 CIC perficiendus – quo, exercitio quidem potestatis iudicialis, diluitur controversia coram tribunali adducta [...] Manet ergo identificatio inter sessionem decisoriam et ipsam sententiam» (Memoriale Defensoris Vinculi, 3-4).

Una coram Pucci huiusmodi quaestionem funditus aggressa est et solutionem aequam, legibus Ecclesiae prorsus nixam, prosecuta est: «a) Ex ipso Iuris Canonici Codice deducitur nomen sententiae convenire non tantum sententiae quam formalem vocant seu textui iam parato ad publicationem, sed et pronuntiationi sententiae in decisione iudicum collegiali: titulus, enim, XIII libri “De processibus” in nostro Codice “De sententia” inscribitur, et agit sive de causae decisione sive de sententiae exaratione; notio ipsa sententiae a canone tradita 1868, qui est primus memorati tituli, perfecte aptatur decisioni collegiali iudicum, seu: “Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit”; canon 1871 §5, item memorati tituli, decisionis et sententiae nominibus promiscue utitur ad designandam collegialem iudicum pronuntiationem: “Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri potest decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam comperendinari non debet”. b) Instructio *Provida Mater* [...] expresse scribit iudices, expleta causae disceptatione, convenire debere “ad proferendam sententiam” (cf. art. 198 §1). Prolata vero sententia, eadem scriptis mandanda est et ab omnibus iudicibus subscribenda [...] Ad eandem sententiam iuridica veste induendam, ut publicari possit, conce-

ditur mensis [...] Interim vero, et quidem non infrequenter, evenire potest quod unus vel alter ex iudicibus “moriatur aut aliunde suo officio decedat aut eo fungi nequeat”; incongruum tamen videtur quod causa iam decisa, a novo collegio et quasi bis in eodem gradu videatur, praesertim cum causae decisio ante formalem sententiae publicationem partibus communicari possit (cf. art. 199 memoratae Instructionis) et generatim communicetur; ideoque fieri potest, cum nullus iudex mente alius iudicis ligetur, quod novum collegium in conclusionem seu decisionem abeat priori omnino oppositam. Nemo autem est qui gravitatem huius eventus non videat sive in causis matrimonialibus sive, praesertim, in criminalibus collegialiter decidendis [...] c) “Allatae rationes – recte notat appellata Sententia – dubium ingerere videntur de vicio nullitatis sententiae ob defectum subscriptionis iudicis, qui causae decisioni interfuit eandem subscripsit et vita cessit ante sententiae exarationem; et tunc, ad normam can. 15, tenendum est non urgere in casu dispositionem can. 1894, num. 3”. d) Certum est, denique [...] hac de re deesse expresse legis praescriptum, ideoque, iuxta can. 20, normam desumendam esse inter alia a stylo et praxi Curiae Romanae: Nostrum autem Apostolicum Tribunal, uti notum est, cum e vivis subripiatur Auditor inter causae decisionem et sententiae exarationem, ad sententiae publicationem procedere absque subscriptione iudicis defuncti, uti patet, facta tantum mentione decessus et addita copia authentica partis dispositivae sententiae, quae in decisione collegiali a iudice defuncto fuerat subscripta. Quampraxim sequitur, v. gr., Vicariatus Urbis Tribunal sive prioris sive alterius instantiae» (CORAM PUCCI, decisio diei 19 iunii 1968, n. 4, in *R.R. Dec.*, v. LX, 457-458).

Quidem agnoscendum est quod «según la praxis admitida en la cancillería rotal, la sentencia es firmada sólo por los jueces restantes y se añade una nota del notario» (A. STANKIEWICZ, in *Comentario exegetico alCodigo de Derecho Canonico*, v. IV/2, Eunsa, Baranain 1997, 1632); ast praxis fundamentum suum habet in natura vel essentia partis dispositivae, cum tenendum sit «vim sententiae ontologicè consistere in sola parte dispositiva, quae, si aliunde valida, numquam retractari aut corrigi potest» (AE. DEL CORPO, «De vi partis dispositivae sententiae, antequam sententia exaretur et publice tur ad normam juris», *Monitor Ecclesiasticus* 75 [1950] 204).

4. - Admitti nequit sic et simpliciter asseveratio iuxta quam «Ex legitima appellatione descendit quod, declarata sententiae nullitate, appellatio permanet pense iudicem superiorem, competentem ex legitimitate appellationis» (Sum. 1-um, 5/5), ac deinde «“Declarata nullitate sententiae, haec non iudici appellato subsignanda remittenda est sed apud H. A. T. manet ex legitima appellatione, ad normam can. 1625 et can. 1444 §1, n. 1: in casu appellatio est legitima quia ab ipsa admissa etsi cumulata cum querela nullitatis, eaque una simul a lege admissa” (Alterum Mem., pp. 5-6/10)» (Summ. 1-um, 9/8).

En rationes:

a) distinguere oportet inter iudicem appellationis tribunalis loci et H.A.T.; altera ex parte discernendum est utrum nulla declaretur sententia primi an superioris gradus;

b) si declaratur nullitas sententiae *primi gradus* – et quidem per decisionem quae transit in rem iudicatam – nec ullus iudex motu proprio ad ulte-

riora procedere potest. Solummodo ad partem – hucusque partem actricem vel parte conventam diligentior – pertinet instare ut iudex competens nullitatem purget et ad ulteriora procedat. Tali in casu ad ulteriora procedere potest solummodo iudex eiusdem tribunalis primi gradus, nisi pars processum prorsus novum inchoare velit penes aliud competens Tribunal primi gradus. Nihilo minus in utroque casu, nec Rota Romana nec tribunal appellationis loci sibi usurpare potest iurisdictionem super merito causae vi legitimae appellationis, sed causa remittenda est ad iudicem “a quo”. Tantum vero apud Rotam Romanam evenire potest quod, declarata nullitate sententiae, Exc.mus Decanus H.A.T. causam advocet ad Rotam Romanam inde a prima instantia, ad mentem art. 52 Normarum Romanae Rotae Tribunalis et iuxta facultatem per litteras E.mi Secretarii Status diei 21 maii 1997 Decano Romanae Rotae concessam (cf. *Quaderni dello Studio Rotale*, vol. IX, 68);

c) si apud Rotam Romanam declaratur nullitas sententiae *alterius gradus*, valida ergo exstante sententia prima instantiae, iuxta praxim causa revera suum iter prosequitur penes Rotam Romanam, quamvis nonnullis in casibus Patres iusserunt remissionem causae ad competens tribunal appellationis loci.

Ratio distinctionis inter iudicem tribunalis loci et H.A.T. sistit in peculiaritate N.A.T., quod est tribunal appellationis et iudicat in secunda et in tertia vel in ulteriore instantia (cf. can. 1444 §1, nn. 1-2), sed solummodo exceptionaliter iudicat in prima instantia ad mentem can. 1444 §2 et art. 52 Normarum Romanae Rotae Tribunalis (cf. G. ERLEBACH, «L'attuale disciplina dell'avocatio decanale», *Quaderni dello Studio Rotale*, vol. IX, 62-64).

Quare declarata nullitate sententiae primi gradus, etsi legitime ad Rotam appellatae, Romana Rota super illa causa non est amplius per se competens.

In facto

5. - Decretum coram L. diei 14 novembris 2000 prorsus in quaestionem sanandae sententiae vertit et concludit sententiam Tribunalis Z. in primo gradu latam die 28 maii 1999 nullam esse, quia nullitas sanabilis, ex defectu subscriptionis Praesidis R.D. A. orta, minime sanata est et haud sanabilis manet, quoniam illa «sententia intra tempus a iure statutum et querelata fuit» (Summ. 1-um, p. 8).

Attamen sententia sanaretur minime opus erat, quia sententia prorsus valida haberi debet.

Nam, uti ex actis patet, Praeses R.D. A. die 28 maii 1999, scilicet ipsa die in qua sententia prodiit, suam subscriptionem apposuit in folio sic dicto dispositivo (cf. Summ. 1-um, 82), et hoc sufficit, iuxta principia in parte in iure supra exposita, ad sententiam valide proferendam.

Certo certius nota infra addita, iuxta praxim N.A.T. et receptam etiam a Tribunali Z., de cessatione officii iudicis pro R.D. A. fidem facit quoad tempus exarationis sententiae: «Il Rev.mo Mons. A., Presidente del Collegio, non potrà sottoscrivere l'esemplare di questa sentenza, perché, in data 30 settembre 1999, avrà lasciato l'ufficio per essere collocato a riposo. La sottoscrizione autentica del predetto Giudice si trova apposta nel registro delle sentenze di questo Tribunale di Prima Istanza» (Summ. 1-um, 83); ast idem iudex iurisdictione plane fruebatur tempore quo causa definita est, scilicet in conventu Collegii ad sententiam proferendam.

Certo certius via in Decreto coram L. suggesta, scilicet ante publicationem et notificationem «mittere Iudicibus egrotis ac domi degentibus ad subsignandas [...] sententias et decreta ratihabitionis» (Summ. 1-um, 9/8), habetur tantum pro recta exaratione textus sententiae, minime autem necessaria est ad validitatem sententiae.

6. - Quibus omnibus tum in iure cum in facto perpensis, infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, propositis dubiis responendum esse censent uti respondent:

AD PRIMUM NEGATIVE,
SEU RECURSUM CL.MI PATRONI
PARTIS CONVENTAE
ADVERSUS DECRETUM PONENTIS
DIEI 7 FEBRUARII 2002
HAUD ADMITTENDUM ESSE;

AD SECUNDUM AFFIRMATIVE,
SEU CONSTARE DE IURE APPELLANDI
R.D. PROMOTORIS IUSTITIAE H.A.T.
ADVERSUS DECRETUM TURNI CORAM L.
DIEI 14 NOVEMBRIS 2000;

AD TERTIUM,
INFIRMANDUM ESSE DECRETUM TURNI CORAM L.
DIEI 14 NOVEMBRIS 2000.

Ita pronuntiamus mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut hanc Nostram interlocutoriam sententiam, ad normam iu-

ris et iuxta vigentem praxim, iis, quorum interest,
notam faciant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, in Sede Tribunalis
Romanae Rotae, 2002.

Jordanus CABERLETTI, Ponens
Angelus Brano BOTTONE
Gregorius ERLEBACH

Ex Cancellaria Rotae Romanae Tribimalis, die [...]
M. Xaverius Leo Arokiaraj, Not.